



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

§. Secunda pars explicationis Scoti refutatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

quens de Patre, sic docet [non humano modo, ex compositis Deus est, ut in o. aliud sit, quod ab eo habetur, & aliud sit ipse, qui habet sed totum quod est, vita est.

S.

Secunda pars explanationis Scoti refutatur.

Quia solutio illa Scoti volens explicare principium, quæ sunt eadem vni tertio, fundata in supposito falso, §. superiori latè impugnatum, non soluit difficultatem; quia, principium illud, si ex creaturis sumatur, ut optime aduertit P. Suarez, etiam in his, quæ sunt idem realiter cum vno tertio, & solum distinguuntur formaliter, vel modaliter concludit inter se esse eadem realiter, & ad summum formaliter, vel modaliter distingui; unde ut melius percipiatur difficultas, sumatur illud principium, ut affirmatiuum quidem (quia hoc maxime necessarium est, nec aliter potest fieri; quia principium hoc essentialiter petit) non ut purè affirmatiuum, sed adiuncta negatione hoc modo; quæ ita sunt eadem vni tertio, ut ab eo realiter non distinguantur, ita etiam sunt inter se idem, ut inter se realiter non distinguantur, licet distinguantur formaliter, quia formaliter non identificantur in tertio, & ratio est manifesta, quia conclusio non debet effici nisi in virtute medij, & secundum id, quod medium solum in se continet; quia cum medium sit causa concludendi, & causa non det, nisi id quod continet, neque effectus habeat aliquid, quod non accipiat a causa, cum sit totus participatio causæ, inde est, quod in conclusione solum debet alii identitas realis inter extremi, quia medium ad talem identitatem est identitas eorundem extremorum realis cum medio, & non formalis, quod inductione constabit in omnibus, & incipiendo à diuinis ad hominem euidenter argumentor contra Scotum, & Scotistas; quia hoc est verum; iustitia diuina identificatur realiter cum Deo; misericordia diuina identificatur realiter cum ipso Deo: ergo realiter misericordia, & iustitia identificantur inter se: ecce quomodo ex identitate reali duorum extremorum cum tertio concluditur euidenter identitas realis inter extrema, & nihilominus in sententia Scoti eodem modo distinguuntur iustitia, & misericordia à Deo formaliter ex natura rei, sicut relationes Paternitatis, & filiationis à diuinitate: ergo explicatio Scotica est falsa, quod principium non habeat verum in tribus personis respectu diuinitatis ut identificentur inter se realiter, ex eo quod Deus distinguatur formaliter ex natura rei à tribus diuinis personis; quia inter iustitiam, & misericordiam respectu Dei militat eadem ratio, & nihilominus colligitur ex identitate reali cum Deo identitas realis iustitiæ cum misericordia, non obstante distinctione formali ex natura rei inter iustitiam, & diuinitatem, & inter misericordiam, & eandem naturam diuinam; ergo alia ratio disparitatis tribuenda est, & alio modo explicandum axioma.

Deinde in creatis quia actio est idem ac motus realiter, & passio est idem realiter cum motu, actio & passio sunt idem realiter inter se, & nihilominus actio, & passio in sententia Scoti distinguuntur formaliter ex natura rei à motu; & ideo licet colligamus identitatem realem inter

actionem, & passionem, non colligimus identitatem formalem ex natura rei, inter ipsas, cuius ratio euidentis est; quia in medio non datur talis identitas formalis ex natura rei, videlicet actionis, & passionis respectu motus; cum autem conclusio non debeat elici, nisi ad mensuram medij, inde est quod sola identitas, quæ datur in medio actionis, & passionis cum motu debeat elici in conclusione inter actionem, & passionem, & non alia. Tandem ut relinquamus alia sexcenta exempla admissa ab Scotica Schola; existentia, & indiuiduatio Petri identificantur realiter inter se, quia identificantur realiter vni tertio, scilicet Petro etiam si distinguantur formaliter ex natura rei ab ipso. Præterea rationale, & animal identificantur realiter inter se, quia realiter identificantur in vno tertio, scilicet in homine, & etiam si formaliter ex natura rei distinguantur inter se, quia distinguuntur similiter ab illo tertio formaliter ex natura rei: ergo eo modo, quo identificantur cum tertio, debent identificari inter se non obstante quacumque distinctione ab illo.

Neotericus quidam in manuscriptis in metaphysica explicans hoc principium, quæ sunt eadem vni tertio &c. *quæst. 6. §. secunda sententia*, sic enervare contendit hanc oppugnationem contra Scotum: [sed hæc impugnatio vniuersaliter dicta mihi videtur insufficiens; quia materia, & forma sunt idem realiter vni tertio, & nihilominus distinguuntur realiter inter se.] Sed contra manifestè, quia hæc instantia est falsissima, nam vni nullo modo identificatur cum materia & forma, neque materia, & forma identificantur cum illa, sed potius sine vlla identificatione cum vnione distinguuntur ex natura rei ab vnione; quod latè probò in physicis *disp. de vnione*, & & quod caput est ipse neotericus sui immemor, latè probat ibi contra Thomistas, vnionem non identificari cum materia & forma, & ratio est euidentis; quia etiam si vnio distingueretur ex natura rei à materia, & forma si ex alio capite identificaretur realiter cum illis, nunquam posset destrui vnio inter materiam, & animam rationalem existentibus illis, & non destrui etis: sed perueuerantibus in esse, ut patet euidenter in sententia Scoti, qui concedit animal hominis, & rationale illius distingui ex natura rei ab homine, & nihilominus asserit, ut iure optimo debet asserere, nullo modo posse destrui hominem existentibus animali, & rationali ipsis; quia licet ex parte distinctionis poterat hoc contingere, nihilominus tamen identificatio realis impedit talem destructionem, & idem est de actione, & passione respectu motus, imò in sententia omnium, etiam si per impossibile personæ diuinæ possent corrumpi, non posset corrumpi vna, non corrupta alia; quia licet inter se distinguantur realiter, identificantur tamen in vno tertio, scilicet in diuinitate, & contra non posset corrumpi diuinitas, existentibus personis, quia diuinitas identificatur realiter cum illis, sed vnio identificatur realiter per vos cum materia, & forma: ergo non potest corrumpi vnio existentibus materia, & forma; sed quando mortuus est D. Petrus desinit esse, & corruptus est, non quia desinit materia, & forma, cum adhuc perseuerent, sed quia solum corrupta est vnio inter materiam & formam rationalem D. Petri: ergo vnio non identificatur realiter cum partibus, quas vnit; cuius argumentum etiam est in sententia huius neoterici, quod vnio educatur

catur ex potentia materiæ, & ex potentia formæ, ac proinde recipiatur vere in illis, & illæ sint causæ materiales illius: atqui id, quod recipitur in aliud, & educitur ex illo, non potest identificari realiter cum eodem subiecto, & causa materiali: ergo unio secundum tua principia non potest identificari realiter cum materia, & forma; fallacia autem huius in hoc consistit, quod communiter dicatur, unionem, sicut quemcunque modum non distingui realiter à re, cuius est modus; cuiusmodi loquendi sensus est, rem non distingui à modo, ut ab alia re; quia modus non est res; nam si esset res distingueretur realiter ab illo; quia autem licet non sit res, nihilominus est alia formalitas ab ipsa re, quæ permanente re, possit destitui, ideo distinguitur ex natura rei à re sine ulla identitate reali cum ipsa. Itaque à non distinctione in uno genere, si in alio detur vera distinctio, ratione cuius possint illa duo extrema separari realiter secundum principia Societatis, D. Thomæ & Aristotelis, non potest argui identitas realis; v. g. substantia Petri non distinguitur realiter tanquam res à re ab actione, quæ producitur Michael Angelus, vel ab actione, quæ ipse Petrus producit suum filium, quæ actio intrinsecè est in filio, & non in Petro.

Item unus homo non distinguitur realiter ab ubi alterius, sed solum modaliter, & nihilominus non potest argui identitas realis inter illa. Item lux distinguitur à tenebris, & cæcitas à visu non positivè, sed privativè, & nihilominus non potest dici, quod actu identificentur positivè, & accidens non distinguitur substantialiter à substantia, & nihilominus non identificantur substantialiter. Item Ioannes actu existens non distinguitur actu, & formaliter ab Antichristo; quia ut duo extrema actu, & formaliter distinguantur, debent actu, & formaliter existere; quia actualis distinctio aut est formaliter relatio ut latè probo supra *disputatione de distinctione*, aut saltem secundario necessario inducit relationem prædicamentalem, quæ quatenus talis petit utrumque extremum actu existens, & nihilominus mentis inops vocaretur qui ita argueret Antichristus, & Petrus actu, & formaliter non distinguuntur: ergo Antichristus, & Petrus actu, & formaliter identificantur: ergo similiter est ineptissima argumentatio unio, quæ distinguitur ex natura rei à materia, & forma & quia non est res dicitur non distingui realiter à materia, & forma: ergo unio identificatur realiter cum illis; & ratio est, quia ad identificationem, quia est indivisibilis, & perfectus conceptus non requiritur quæcumque non distinctio quomodocumque significata, sed potius requiritur, ut sint eiusdem rationis, & sine ulla distinctione sint una, & indivisibilis entitas, quia petit identitas pro conditione necessaria, & essentiali, ut extrema, quæ identificantur, ita existant ut non possit destitui unum manente alio, & separari à parte rei: sed unio, & materia, & forma non sunt eiusdem rationis quoad realitatem, neque sunt una, & indivisibilis entitas, & ex alio capite ita se habent, ut manentibus materia, & forma possit corrumpi unio: ergo licet latissimo modo dicantur non distingui realiter, nihilominus non poterunt dici identificari realiter; ratio à priori videtur esse quia distingui, & identificari non opponuntur contradictoriè, sed vel privativè, aut ad modum alius, aut contrariè metaphysicè: ergo ex nega-

tione unius non colligitur immediatè alterum extremum nisi ponantur simul cum tali negatione conditiones necessariae ad existentiam alius extremi; sicut v. g. quia possibilitas, & impossibilitas non opponuntur contradictoriè formalitè, non valet bene existentia Petri, quia distinguitur à sua possibilitate non est possibilitas: ergo est impossibilitas, & propter eandem rationem non valet bene hæc argumentatio: lapis non est cæcus: ergo est videns; esset autem bona, si per impossibile posset dici lapis est non cæcus, & est subiectum aptum ad videndum: ergo est videns; tunc enim illæ conditiones aptitudinis ad videndum cum negatione cæcitatæ arguunt evidenter esse videns tale subiectum: ergo similiter in nostro casu ex non distinctione in uno genere cum distinctione in alio non arguitur identitas, nisi concurrant conditiones supradictæ, quod patet evidenter; nam Petrus non distinguitur modaliter à Deo, seu ex natura rei, sed potius distinguitur realiter, & nihilominus non potest argui: ergo identificatur Petrus realiter ex natura rei cum Deo.

Deinde, quia nullus ex Thomistis docuit etiam si asserat, unionem materiæ non distingui à materia, & unionem formæ non distingui à forma; unionem esse quoddam simplex tertium, in quo identificentur materia, & forma, eo modo quo dicunt actionem, & passionem identificari in motu: sed potius sicut dicunt unionem ex parte materiæ identificari cum ipsa materia, & unionem formæ cum forma; ita distingui unionem materiæ ab unionem formæ; sicut materia distinguitur à forma; quia ipsi solum dicunt, ad compositionem totius non requiri aliam formalitatem distinctam ab entitatibus materiæ, & formæ, sed potius duas entitates materiæ, & formæ per seipsas, quatenus sunt actus, & potentia propter ultimam dispositionem posse sine ullo alio medio distincto ab ipsis componere compositum, quia alias si oppositum dicerent Thomistæ, concederent in rebus creatis mysterium Trinitatis, aut dualitatis simile mysterio increato, ut videtur chimericè hic neoterici ponere; nam sicut in Trinitate una res, & una entitas Dei identificatur cum duabus personis realiter distinctis, ita similiter unica entitas unionis identificaretur cum duabus entitatibus realiter distinctis inter se, materia videlicet, & forma: ergo fictitia & sine fundamento est hæc sententia neoterici.

Tandem, quia hoc quod in hoc §. docet hic *author*, immediatè contradicit verbis, quæ posuit in eadem questione, §. colliges 2. ibi: [quod illud principium ita constituitur, quod si eadem unio tertio finito, & limitato sunt, sint etiam eadem inter se, hoc enim evidens est; quia cum increatis non detur illa infinitudo cum infinita secunditate, est impossibile quod eadem entitas identificetur cum rebus realiter distinctis, ut contingit in divinis.] Atqui exemplum, quod adducis tu, ubi supra est rerum creatarum distinctarum realiter inter se, quæ per te identificantur cum uno tertio finito, & limitato, scilicet unionem, & nihilominus non identificantur inter se, ratione identitatis cum illo tertio: ergo adhuc in creatis per te falsificatur illud principium, & non solum in divinis, quæ sunt contradictoriè opposita tuis, quæ tu dicis §. colliges 1. & colliges 2. unde tibi expresse contradicis; quod in Dei

Dei providentiam est reuocandum, eo quod veritati manifeste contradicere vultis: igitur nostra veritas suis euentibus principis, & fundamentis innixa in suo robore, ac flore perseverat; unde distinctio illa, qua Scotista vtuntur, nullum fundamentum habet in ratione naturali, nec in creaturis: ergo nec convenienter declarat illud principium, quatenus ratione naturali notum est.

Nec satisfacit fundamento, quod illi principio nititur vt naturale est.

Secunda sententia asserit; quod principium habet verum in hoc sensu, videlicet quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, non simpliciter, sed cum illo tertio, atque adeo in diuinis colligitur in formali consequentia, & conclusionem, quod Pater, & Filius sunt idem in essentia, non vero simpliciter, & omnimodo; ita D. Thomas in 1. dist. 3. 3. art. 1. ad 1. Capreolus in 1. dist. 2. quest. 3. art. 1. in fine, Caietanus quest. 28. 1. p. art. 1. Ferrara 2. contra Gentes, cap. 13. atque etiam Scotus, qui omnes vias tentans in omnibus non collimat scopum in 1. dist. 2. q. 4. art. 1.

Sed contra manifeste, quia hæc solutio in primis petit principium, & omnino euerit illud axioma, quia quando dicimus, quæcumque sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, virtutalem quandam illationem facimus ex identitate cum tertio inferendo identitatem extremorum inter se: ergo non debemus addere in consequenti illo id, quod sumimus in antecedenti; alias nihil inferimus, sed idem repetimus; hoc autem fit, si addamus, illa extrema esse idem in tertio; quia inferitur in consequenti id ipsum, quod ponimus pro medio in antecedenti; quia est contra omnes regulas syllogismorum, nam prima regula syllogizandi est, quod medium non ingrediatur conclusionem: sed secundum principia huius solutionis medium ad conclusionem ponitur in conclusione: ergo perperam procedit solutio. Minor, in qua est difficultas, sic demonstratur; quia medium in illa argumentatione est hoc, quæ sunt eadem vni tertio, sed in conclusione illa ponitur: ergo sunt eadem vni tertio: ergo medium ponitur in conclusione illata: ergo non est rectus syllogismus.

Quod autem illud sit medium in syllogismo, sic patet manifeste; quia in syllogismo primæ figuræ medium est, quod subiicitur in maiori, & prædicatur in minori: sed in hoc syllogismo primæ figuræ v. g. quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: sed Pater, & Filius sunt eadem vni tertio: ergo Pater, & Filius sunt eadem inter se; illa particula, eadem vni tertio, subiicitur in maiori, & prædicatur in minori: ergo quæ sunt eadem vni tertio est medium in illo syllogismo: sed illud ipsum medium ponitur per vos in conclusione, & prædicatur de maiori extremitate: ergo est vitiosa conclusio, imo non est conclusio, sed loco conclusionis formalis bis repetita maior, quæ erat, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, scilicet cum tertio. Deinde, quia in bono syllogismo maior extremitas in conclusione debet prædicari de minori extremitate: sed in syllogismo posito non prædicatur maior extremitas de minori: ergo non recte componitur syllogismus. Probat autem minor, maior extremitas in syllogismo primæ figuræ est prædicatum in maiori, & minor extremitas est subiectum in minori: sed prædicatum maioris non prædicatur de

I. P. Tom. II.

subiecto minoris in prædicto syllogismo, quia prædicatum maioris est, sunt eadem inter se, & subiectum minoris est Pater, & Filius: ergo maior extremitas non prædicatur de minori extremitate in conclusione; sicut si aliquis inferret, omne ens est bonum: sed Pater & Filius sunt ens: ergo Pater, & Filius sunt ens; hic syllogismus est vitiosus propter vtramque rationem dictam videlicet, quia medium ingreditur conclusionem, videlicet ens; & quia maior extremitas non prædicatur de minori extremitate in conclusione: sed similiter se habet syllogismus prædictus: ergo restat videndum, quid in argumentatione disposita secundum regulas logicæ recte excludatur; quia si non recte excluditur vna ex præmissis debet esse falsa: sed non potest excludi minor in prædicto syllogismo, quia videlicet Pater, & Filius secundum fidem catholicam sunt eadem vni tertio, nempe essentia diuinæ iuxta illud Christi Ioannis 1. ego & Pater vnum sumus: ergo restat quod maior sit falsa, videlicet quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se.

Quod amplius vrget si addatur illa negatio, videlicet: [hæc duo sunt idem vni tertio, & ab illo non distinguuntur realiter, formando hoc modo syllogismum; quæ sunt eadem vni tertio, ita sunt idem inter se, vt non distinguuntur; quo posito colligitur conclusio hæretica: ergo Pater, & Filius ita sunt idem inter se, vt non distinguuntur realiter: ergo querenda est alia explicatio.

Aliter Argentina, Egidius & alij, & sequuntur D. Thomam 1. p. quest. 28. art. 3. ad primum, dicentem; principium illud esse verum in his, quæ sunt eadem re, & ratione, non vero in his, quæ re tantum, si ratione distinguuntur; quomodo se habent essentia, & relationes; quia licet essentia non distinguatur à relationibus realiter, distinguitur tamen ratione ab illis, & ideo non tenet principium in diuinis, & quod mirabilius est ad hoc asserit Aristoteles 3. Phys. sed hæc explicatio non est minus falsa, quam præcedens, vt videre est in hoc exemplo manifestissimo, quia actio, & passio identificantur realiter inter se; quia identificantur realiter cum motu, & nihilominus distinguuntur ratione à motu, vt ex principiis ipsius D. Thomæ patet: ergo falsa est explicatio; imo eo modo quo identificantur, & distinguuntur à tertio, identificantur, & distinguuntur inter se, & sic quia identificantur à parte rei cum motu, & distinguuntur per rationem ab eo, identificantur similiter inter se realiter, & distinguuntur ratione. Adde, quod euident est ad hominem; nam ipse D. Thomas 2. contra Gentes, cap. 9. ex identitate reali attributorum infert identitatem realem eorum inter se, & sic arguit iustitia diuina identificatur cum diuina essentia, & misericordia diuina identificatur realiter cum eadem: ergo iustitia diuina, & misericordia diuina identificantur inter se realiter; atqui in sententia eiusdem D. Thomæ, tum in eisdem libris contra Gentes, tum 1. p. attributa diuina distinguuntur à diuina essentia ratione: ergo bene potest colligi identitas realis duorum extremorum inter se ex identitate eorumdem cum tertio; licet distinguantur ratione ab ipso.

Id autem, quod ibi Ferrara ait, videlicet Diuum Thomam intelligendum esse de distinctione rationis, non quacumque, sed quæ habeat

fundamentum in re nullius momenti est, tum quia etiam distinctio rationis attributi ab essentia habet suum fundamentum in re, tum maxime propter rationem factam contra priorem responsum, quæ hic magis urget: Aristoteles autem, ut bene aduertit P. Vazquez tantum vult ex identitate reali extremorum cum medio non inferri identitatem rationis eorundem inter se, quia iam mutaretur appellatio, nam distinctio rationis est extrinseca, ut ita dicam respectu obiecti, & minimum est ficta per intellectum, & idem est de identitate per rationem; identitas autem realis est intrinseca à parte rei conueniens rebus ante rationem; unde distinctæ identitates sunt, & quæ separantur in multis; nam multa identificantur realiter, & non identificantur per rationem: ergo non debet ex vna inferri alia.

Pater Hurtado in Logica disput. 10. de modo sciendi, sect. 16. §. 123. in fine, ut defendat D. Thomam sic ait: [S. Thomas est in profundiori sensu, nomine enim distinctionis rationis intelligit distinctionem virtualem in diuinis, ex qua inferitur realis distinctio personarum.] quæ doctrina conuenit cum his, quæ ipse Hurtado docet §. 126. ibi: [ut autem vis syllogistica etiam in Trinitate seruetur, opus est aduertere quod dixi disput. 19. in 3. part. §. 15. in diuinis esse distinctionem virtualem, nobiliorem distinctione virtuali creaturarum per quam Deus præstat vna sola entitate eminentissimo modo, quæ creaturæ præstant pluribus, quæ distinctione fundantur in Deo prædicata, quasi contradictoria intrinseca entitati Dei; hinc oritur ut relatio explicata conceptu formali, & reduplicatio habeat prædicata realiter repugnantia naturæ, ut est natura; unde non bene concluditur ex vno aliud; exempli gratia in hoc syllogismo, vitium est in vtraque præmissa; natura diuina est paternitas, filio est natura diuina: ergo filio est paternitas; quia in maiori ponitur sola identitas realis formalis inter paternitatem, & naturam; in minori ponitur sola eadem identitas inter filiationem, & naturam; in conclusione autem inferitur identitas realis inter Paternitatem, & filiationem, quæ est mala collectio.

Sed hæc solutio Patris Hurtado æquè friuola est, ac Scotica; nam multa sunt in sententia huius auctoris, in quibus ex identitate reali illorum cum vno tertio colligitur identitas realis eorundem inter se, etiam si virtualiter distinguantur ab illo tertio; nam intellectus, & voluntas diuina distinguuntur virtualiter à diuina essentia, & ratio est manifesta quia diuina essentia conuenit realiter cum essentia creaturæ v. g. cum essentia lapidis, & non conuenit cum essentia illius in ratione intelligendi, & volendi; atqui prædicata quorum vnum est affirmatio, & alterum negatio respectu eiusdem indicant virtualem distinctionem, ne sint verè contradictoria prædicata de quo latè supra: ergo essentia diuina intellectus, & voluntas distinguuntur virtualiter. Item quia essentia diuina est primum constitutivum diuinitatis, & intellectus, & voluntas non primo constituunt eam. Item per intellectum producit Verbum ut per rationem quo formalem & proximam, & per voluntatem non producit Verbum: ergo intellectus, & voluntas distinguuntur virtualiter: ex alio capite essentia non

potest dici principium quo proximam, & formale, per quod producat Verbum, aut per quod producat proximam Spiritus sanctus, sed solum remotum: ergo iam distinguitur virtualiter diuina essentia ab intellectu, & voluntate, & nihilominus quia intellectus, & voluntas identificantur realiter cum ipsa diuina essentia, tanquam cum tertio, colligimus euidenter identificari inter se realiter, & quia non identificantur virtualiter cum tertio non debent identificari virtualiter inter se. Item in creatis rationale, & animal in homine identificantur realiter cum ipso homine, & nihilominus distinguuntur virtualiter ab ipso homine, & ratione identitatis realis cum tertio colligimus identitatem realem inter animal & rationale non obstantem distinctione virtuali cum homine.

Pater Hurtado §. 127. ut soluat hoc argumentum creaturarum, (cum non possit soluere, quia eius non meminit, argumentum nuper factum de intellectu, & voluntate diuina respectu diuinitatis) sic ait: [quod si dicas in creatis ex sola identitate reali formali extremorum cum medio inferri eorum identitatem realem inter se; respondeo id esse falsum; quia etiam colligitur ex identitate virtuali, quia creata carent eo genere distinctionis virtualis, ut patet ex lumine naturæ; diuina non carent, ut patet Dei testimonio; discrimen est, quia Deus est Deus, & creaturæ creaturæ.] Pulchra disparitatis ratio, nos enim dicimus, inter creatas dari distinctionem virtualem, sicut inter diuina, adducimus argumentum efficax, quod adduxit Scotus ad probandam distinctionem formalem inter gradus, videlicet, quod homo conueniat per animal à parte rei cum equo, & non conueniat à parte rei cum equo per rationale, quia ad conueniendum sufficit, quod in vtroque extremo detur similis ratio, non quod eadem formaliter, alias vnus homo non conueniret cum alio homine in ratione hominis, quia in vtroque non est eadem indiuisibilis ratio hominis: ratio autem à priori est, quia relatio conuenientia non petit identitatem, sed similitudinem; atqui in equo datur ratio animalis similis rationi animalis, quæ reperitur in homine; item in equo nullo modo datur rationalitas: ergo homo conuenit cum equo per animal, & non conuenit per rationale à parte rei, sine vlla fictione intellectus: ergo animal, & rationale à parte rei habent aliquam distinctionem, non formalem, quam ponit Scotus, quia illam data operatur tu oppugnas in metaphysica disput. 5. tota sect. 3. à num. 28. vsque ad 37. ergo debet esse distinctio virtualis: ergo similiter distinguuntur virtualiter illi gradus ab ipso homine, quem constituunt; nam verum est dicere, homo conuenit cum lapide in ratione entis completi, & rationale non conuenit cum lapide in ratione entis completi.

Clarius, homo conuenit cum equo, & non conuenit rationale hominis cum equo in ratione intellectui. Item homo conuenit cum Angelo in ratione intellectui ut sic, & non conuenit cum illo animal hominis in ratione animalis. Tandem, quia quando in aliquo genere distinctionis distinguuntur constitutiva alicuius completi excludendo se, aut distinctione excludentis ab excluso distinguuntur diuisim à toto distinctione includentis ab inclusio eodem ordine distinctionis, quoad formalitatem, vel virtualitatem v. g. quia

quia materia, & forma distinguuntur formaliter realiter à parte rei distinctione excludentis ab excluso, distinguuntur etiam à toto realiter formaliter distinctione includentis ab incluso, & quia gradus superiores, & inferiores in Deo distinguuntur inter se distinctione virtuali, distinguuntur à Deo eadem virtuali distinctione: ergo si animal & rationale distinguuntur virtualiter inter se, distinguuntur etiam virtualiter ab homine distinctione includentis ab incluso.

Dices, ad distinctionem virtutalem requiri oppositionem relationum, quæ non datur inter gradus superiores, & inferiores hominis, & datur in diuinis.

Sed contra manifestè, quia intellectus diuinus & voluntas diuina distinguuntur virtualiter, & nihilominus relativi non opponuntur, alias non solum virtualiter, sed etiam formaliter realiter distinguerentur, ut videre est in Patre & Filio, qui distinguuntur formaliter realiter, quia relativi opponuntur: sed intellectus, & voluntas non distinguuntur formaliter realiter, sed solum virtualiter, quia cum non detur oppositio relativa datur affirmatio, & negatio eiusdem de eodem; id est, quod producat Verbum per intellectum, & non producat idem Verbum per voluntatem, atque etiam si gradus superiores, & inferiores hominis non habeant oppositionem relativam (quia si illam haberent, non solum per rationem, ut tu vis, neque solum virtutalem, ut ego contendis, sed etiam formalem realem distinctionem continerent, quod est falsum, ut ex dictis patet,) habent tamen hoc, quod de eiusdem respectu eiusdem verificentur prædicata simul, quorum vnum est affirmatio, & alterum negatio: ergo habent distinctionem virtutalem, tum inter se, tum respectu totius, & non obstant tali distinctione virtuali identificantur inter se realiter, quia identificantur cum tertio hominis realiter, quia distinctio in vno genere non tollit identitatem in alio deductam in conclusione ex identitate simili extremorum cum medio, ut patet ex dictis contra Scotum supra; quapropter cum nos his omnibus concludamus in creatis etiam ut creata sunt, dari distinctionem virtutalem, sicut in diuinis, ut diuina sunt, quia in creatis militat eadem ratio affirmationis, & negationis, sicut in diuinis, & tu respondes, non dari talem distinctionem in creatis & tribuis rationem, dicendo; quia creata sunt creata, & diuina, diuina: sine dubio manifestissimam petitionem principij committis; quia tribuis pro ratione conclusionis ipsam conclusionem, quam negamus, tu enim in tua conclusione asseris sola diuina, quia diuina habere distinctionem virtutalem, non tamen creata, quia creata: nos autem propter argumenta supra posita probamus creata licet creata, & diuina licet diuina habere conuenientiam in ratione formali distinctionis virtualis, scilicet in affirmatione, & negatione eiusdem de eodem; ex quibus euidenter concludimus, conuenire diuinis, & creatis in effectu talis rationis formali, scilicet in habendo distinctionem virtutalem propter illud euidentissimum axioma, ubi est eadem ratio formalis, est idem effectus, vel quasi effectus formalis; tu admissa maiori, & minori, negas consequentiam euidentem: [ergo diuina licet diuina, & creata licet creata habent distinctionem virtutalem;] petimus rationem negandi consequentiam syllogis-

mi positi in forma, & figura; tu tribuis pro ratione tuam ipsam conclusionem: ergo petis principium; unde alia explicatio querenda est.

Capreolus iudicat, hoc dialecticum principium non valere in diuinis, quia natura diuina est inadæquate idem cum vna persona, ac propterea non bene inferitur identitas vnius personæ cum alia, ex identitate ipsarum cum natura.

Sed contra; quia etiam hæc responsio petit principium, quia naturam esse inadæquate idem cum vna persona, est eam esse idem cum illa, & cum alia distincta realiter ab illa prima; hoc autem quo pacto fieri potest, cum omnia, quæ sunt eadem vni tertio, sint idem inter se, id est sunt adæquate idem. Præterea quia in creaturis nulla talis inadæquata identitas inuenitur, & ipsummet principium videtur concludere inueniri non posse.

Nec limitatio, quæ ab aliquibus ponitur tollit difficultatem; limitatio est, quæ sunt eadem vni tertio esse idem inter se, nisi obstat oppositio, id est, nisi illa duo extrema maiorem oppositionem habeant inter se, quam cum tertio; quia temper manet difficultas, ut bene aduertit Pater Suarez, quomodo videlicet possint inter se habere oppositionem, quæ distinctionem realem asserat, si alias sunt omnino idem cum vno tertio, & ideo in hac difficultate præmittenda censeo verba Anselmi *libro de Incarnat. cap. 6.* ubi hanc difficultatem attingens inquit, [si negat tria dici de vno posse, sicut nos in his tribus personis, & vno Deo fatemur, quoniam hoc in aliis rebus non videt, neque in Deo intelligere valet; substineat paulisper aliquid, quod eius intellectus penetrare non possit in Deo esse; nec comparat naturam, quæ super omnia est libera ab omni lege, & loci, & temporis, & compositionis rebus aliis, & credat aliquid in ea esse, quod in aliis esse nequeat] idem ferè habet Hilarius *lib. 1. de Trinit. in principio*, & omnes Patres in hac materia & D. Thomas *in 1.* post multas solutiones ibi traditas fatetur nullum exemplum posse ad hoc asserti ex creaturis, quod non magis dissimile sit, quam simile.

Tandem Pater Franciscus Suarez *tom. 1. de Deo lib. 6. tract. de Trinit. cap. 3.* ubi explicat hoc principium, *num. 7.* sic ait: respondeo principium illud quæcumque &c. si in tota abstractione, & analogia entis sumatur abstrahendo ab ente creato, & increato, seu finito, & infinito esse falsum neque directè demonstrari, aut probari posse, sed ad summum inductione posse à nobis ostendi in creaturis, negamus autem indirectè concludi in tota illa vniuersitate, quia in creaturis potest illud oriri ex limitatione earum, & ideo non rectè fit illatio ad rem illimitatam. Sic ille, quibus verbis manifestè docet, hoc principium falsificari semper in diuinis, verificari autem semper in creatis.

Sed contra manifestè, quia non semper falsificatur in increatis; nam sumpto eodem principio pro medio dum de attributis absolutis agitur, verificatur principium, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: sed iustitia, & misericordia diuina sunt eadem vni tertio, scilicet diuinitati realiter: ergo sunt iustitia, & misericordia eadem realiter inter se: ecce verificatur principium sine vlla falsitate in diuinis. Si autem applicatur relationibus diuinis, falsificatur, ut in hoc syllogismo; quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem

eadem inter se: sed paternitas, & filiatio sunt eadem realiter vni tertio, videlicet diuinæ naturæ: ergo paternitas, & filiatio sunt eadem realiter inter se; conclusio enim hæretica est: ergo nec semper falsificatur in diuinis, nec semper verificatur: ergo ad verificationem, vel falsificationem cognoscendam, non est recurrendum ad infinitatem, quia in diuinis semper datur infinitudo, & nihilominus in diuinis non semper verificatur, aut falsificatur.

S.

Nostre sententia variis conclusionibus affirmatiuis declaratur.

Prima conclusio; hoc principium, quæ sunt eadem vni tertio non est fundamentum syllogismi, cuius medium est terminus communis. Primo, quia quotiescumque aliquid est verum principium formæ syllogisticæ, forma syllogistica semper recte concludit ex vi illius principij, & ratio est à priori; quia forma syllogistica abstrahit à materia, & consequenter abstrahit à Deo, & à creaturis, quapropter ex vi formæ, aut in nolla materia valebit ars syllogistica, aut si valet ex vi formæ in aliqua materia, necessarium est in omni materia valere; quoniam forma semper in omni materia est eadem: atqui forma syllogistica regulata illo principio, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, quando syllogismus habet pro medio terminum communem, non verificatur, sed falsificatur, vt videre est in exemplo posito de Trinitate, vbi relationes identificantur cum diuinitate, & non identificantur realiter inter se; & ratio est, quia Deus, vel diuinitas, cum qua identificantur relationes, & quæ sumitur pro medio, licet sit quædam res singularis, & indiuidua, nihilominus tamen secundum fidem catholicam est realiter communicabilis; nam propter realem communicabilitatem, & fecunditatem æquiualeat naturæ communi & vniuersali: ergo talis syllogismus si regulatur illo principio, quæ sunt eadem vni tertio &c. vt regulatur de facto falsificabitur; quia syllogismus, qui regulatur illo principio, debet habere pro medio terminum non communem, & vniuersalem: sed omnino singularem; vnde cum in hoc syllogismo sumatur pro medio quædam realitas, quæ vere communicabilis est, consequentia in illa ex vi talis principij non est bona, non quia forma syllogistica ibi deficiat & non concludat: sed potius quia non seruatur, neque applicatur forma syllogistica quoad rem ipsam, sed quoad vocem tantum, & quia syllogismus non regulatur proprio principio, sed alieno; qui si regularetur proprio, rectus esset. Nec potest dici, formam syllogisticam deficere in diuinis, quia infinitudo datur; quia hoc modo loquendi ignorantia Logicæ, ac Theologiæ indicatur; quia qui ita loquuntur, sine dubio viam obstruunt vniuersis ratiocinationibus Theologicis, quibus aliquid demonstratur, siue circa diuina attributa ex principiis naturalibus, siue ex principiis supernaturalibus circa diuinas personas earumque substantiam, aut circa prædestinationem, aut reprobationem; ideoque Catholicis volentibus aliquid probare hæretici pro libito responderent discursum, & omnem illationem non valere, quantumcumque seruauerit omnes regulas syllogismorum, propte-

reaque nullum errorem catholici poterunt ex principiis fidei conuincere.

Tandem efficaciter, quia Deus ipse est principium, & auctor cuiuscumque scientiæ naturalis, etiam syllogisticæ, sicut est auctor cuiuslibet veritatis secundum illud Iacobi [omne datum optimum, & omne donum perfectum descendens est à Patre luminum.] Cum autem quæcumque scientia sit lumen creatum, & participatum, debet participari à lumine increato Dei, & non debet opponi cum illo: ergo non potest ipse Deus terminus, & vnus alicui scientiæ, nec alicui naturali veritati repugnare; quod expresse docent Ambrosius 1. Corinthior. 12. ad illud; nemo potest dicere Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto. Augustinus lib. 2. de sermone Domini in monte, cap. 15. & soliloquior. lib. 1. cap. 6. Iustinus in Dialogo cum Triphone paulo post medium, Clemens Alexand. lib. 6. Stromat. foliæ penultimo, & ultimo: ergo forma syllogistica integra, & formaliter seruata bene suis principiis regulata non falsificatur in diuinis: ergo quando falsificatur, non est quia Deo repugnat talis forma, sed potius, quia non applicantur principia vniuersaliaque syllogismi propria.

Secundo, Probat principaliter conclusio; quia in creatis hic syllogismus non est rectus, Petrus est homo, Ioannes est homo: ergo Petrus est Ioannes, quia syllogismus regulatur principio, quæ sunt eadem vni tertio, vbi medium est terminus communis, & syllogismus, vbi talis terminus est medium non regulatur principio illo, quæ sunt eadem vni tertio: sed potius principijs, dici de omni, & dici de nullo; cum his tamen conditionibus, vt medium recte distribuatur, & cætera, de quibus iam in Summulis diximus. quæ conditiones si non seruentur, non fit rectus syllogismus, ratione cuius male conficiuntur hic nuper dictus, quia in illo distributio non est plena, atque perfecta, quod modus arguendi requirit, quare si recte faciendus sit in illo medium homo, quia per rationem est communis Petro, & Paulo Ioannis &c. debet ita distribui, vt supponatur pro Petro, Paulo, & cæteris. Aliiter autem facta, quia violantur leges, & conditiones.

Præterea, quia syllogismus in prima figura factus, in quibus medium est terminus communis non conueniunt ea, quæ petit principium ad sui veritatem, quia in his medium non est realiter vnum & idem, & multo minus est vnum secundum rationem cum suis extremis; exemplum sit hic syllogismus; omne animal est corpus, omnis homo est animal: ergo omnis homo est corpus; vbi animal quod est medium non est realiter vna entitas, siquidem complectitur realitates omnium animalium: Ergo tales syllogismi non regulantur principio illo, quæcumque sunt eadem vni tertio.

Confirmatur; quoniam Aristoteles 1. Priorum cap. 4. & sequentibus, & toto lib. 8. Priorum, vbi ex professo tradit syllogisticam artem, nunquam vtitur hoc principio, quæcumque sunt eadem vni tertio &c. sed nititur semper illi fundamento, dici de omni, & dici de nullo, & quamvis ad hanc vniuersalitatem affirmationis, aut negationis conentur aliqui reducere principium illud, quæcumque sunt eadem vni tertio &c. videntur tamen reduci, & tamen vis illationis sumitur ex distributa, & vniuersali affirmatione, seu